

41.
COLLEGI ADIAPHORISTICI
DISPUTATIO QUINTA

De
EXORCISMO.

Quam.

Divinà annuente gratià,

In inclytâ Wittebergenſium Academiâ,

SVB PRÆSIDIO.

Reverendi & Clariffimi Viri

BALTHASARIS MEISNERI S. S.

Theologiæ Doctoris & Profefſoris
publici,

Discutiendam proponit

ERNESTUS STISSER, Halâ-Saxo.

Habebitur die 23. Martij, horis & loco ſolitis.

WITTEBERGÆ

Typis Iohannis Gormanni

ANNO M. DC. XX.

COLLEGIUM ANATOMICO-MEDICUM
DIPLOMATI QUINTA

EXORCISMO.

THOMAS ANTONIUS VALLIS

In aula Magnae Scholae Academiæ

die 17. FEBRUARII

Reverendi Patris

BALTHASARIS MESSNERI S. S.

Thesaurarii Bibliothecæ

publicæ

Dictionarij


FRANSTADTENSIS, M. D. C. C. C.

Magistri

THOMAS VALLIS

Thomæ Johannis Gornium

MDCCCXXXVII



Σὺν Θεῷ

Collegii Adiaphoristici

DISPUTATIO V.

DE EXORCISMO.

Thesis I.



Isa & ventilata fuit hactenus materia de Adiaphoris cum in genere, tum in specie; de Distinctione Decalogi, de Imaginibus, & aliis ceremoniis, inter quas cum non ultima sed ex *precipuis ea sit*, quam EXORCISMUM vocamus, nunc recto pede ad tractationem ejus descenditur, ita ut naturam *ejus* breviter explicaturi, & a definitione nominis ad ipsius rei definitem

progressuri simus.

II. Est autem Exorcismus vocabulum origine Græcum, quod derivaturâ voce ὅρκιον, quæ latinè juramentum, vel jusjurandum redditur, eaque ὄρκιον τὸ ἔρκιον ab Etymologicis dicta scribitur, eò quod contineat & cohibeat jurantem intra fidejussionis suæ septum vel metam. Ab hoc vocabulo τὸ ὄρκιον fit verbum ὀρκίζω & ὀρκίζω, unde ἐξορκίζω & Πτορκίζω, tum verbalia ἐξορκισμὸς & Πτορκισμὸς, quæ duo idem significât, sicut & ἐξορκιστὴς & Πτορκιστὴς. Errant proinde Calviniani quidam & magnum quidem errorem, qui exorcismum ab ORCO nomen habere impudenter & inscitè effutiunt. Atque hactenus nominis notatio.

Exorcismi
Etymologia.

A 2

III. Signi-

Exorcismi
πολυσημία
& ὁμωνυ-
μία. Signifi-
cationes alie-
re.

1.
2.
3.
Significatio
hujus loci
propria.

Definitio
Exorcismi.

III. Significationem porrò vocabuli quod attinet, illa nobis
κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν consideranda & expendenda est. Non enim
1. ἔξορκίζην in hoc negotio idem significat, ac diabolo juramen-
tum deferre, aut ipsum jurejurando astringere, quo sensu su-
mi videtur Matth. 26. v. 63. Neq; hic ἔξορκίζην hunc habet sen-
sum, ac si infans corporali mali Spiritus obsessione occupatus,
ab eo Dæmone, beneficiō Exorcismi liberandus esset, quæ Pon-
tificorum est sententia: Sic enim Franciscus Toletus lib. 2. de
instr. sacerdotum c. 24. p. 152. definit Exorcismum. *Exorcismus*
inquit, est abjuratio & increpatio quedam maligni Spiritus. Arcetur
enim & expellitur potestas dæmonis impediens salutem spiritualem ba-
ptizandi, in quo sunt tres ceremonie: Prima est *exsufflatio*, qua expul-
sio dæmonis significatur, cum manūs impositione & signo cur-
cis ad præcludendam viam dæmoni, ne ingrediatur. Secunda est
salis in ore immissio, ad denotandam sapientiam, quâ opera Chri-
stiana debent esse condita. Tertia est *saliva digito, auribus & na-*
ribus apposita, ad denotandam apertionem sensuum spiritua-
lium. Quam sententiam licet toti execremur; Calviniani
tamen illam sapissimè nobis affingunt 3. Ut verum tandem
sensum verbi ἔξορκίζην eruamus, illud hic idem significat, ac
diabolo indicare, quod ab infante, quem propter originale ma-
lum captivum in suo regno spiritualiter tenet, abire, & Christo
possessori locum relinquere debeat. Est itaque ἔξορκίζην se-
cundum Ecclesiæ stylum, nihil aliud, quàm denunciare diabolo
opus divinum, quod ipse Deus per Baptismi administrationem
in Baptizando operaturus est, destruendo opera diaboli, & no-
vum regni sui seminarium plantando.

VI. Ex quo sensu spontè fluit ipsius rei definitio, quæ in
omni statu cùm sit periculosa, tum verò in hac potissimum,
controversia non nostri ingenij ductum, sed præceptorum no-
strorum filium & præscriptum sequemur, ita cum ipsis finientes
Exorcismum: Quod sit ritus adiaphoricus seu indifferens, qui
in Ecclesia, circa administrationem à Baptizante coram astan-
tibus Baptismi testibus, usurpatur, tanquam plenior expositio
verborum Baptismi, & pictura summæ Tyrannidis diaboli, cui
subjectus est extra Christi regnum baptizandus, ut imago effi-
acchie

efficaciam hujus Sacramenti, & tandem ut pars confessionis, & testimonium libertatis Christianae.

V. In hujus definitionis analysi duo nobis capita generalia explicanda veniunt: Genus nimirum; & ejus Differentia. Genus quod attinet, illud idem est cum sacramento Baptismi, pertinens ad praedicamentum actionis, determinatio generis, est Adiaphoron seu indifferens. Ubi probandum nobis incumbit; Quod vera adiaphororum natura in Exorcismum cadat.

VI. Facimus hoc brevissime, & tali quidem quinque; membris constante Syllogismo. Quodcumque, 1. ab ipsis sanctis Patribus & reliquis piis hominibus in Ecclesia institutum 2. bono fine susceptum 3. nec in verbo Dei specialiter prohibitum, sed 4. in illo generaliter comprehensum, & denique 5. in libero hominum arbitrio positum est servare vel omittere, illud est adiaphoron. Exorcismus est talis. Ergo.

VII. Minor est κενώμενον, cujus probatio per singula membra nobis institutuenda & adoranda est.

VIII. Primum membrum, nempe Exorcismum a patribus & piis hominibus suam trahere originem, testantur testimonia Orthodoxae antiquitatis, ex quibus constat Exorcismum annos mille quadringentos usitatum fuisse. Meminit Exufflationis & abrenunciationis factae Dionysius Areopagita Atheniensis Episcopus, qui vixit circa annum Christi 80. quod ipse Exorcismi Antagonista P. Martyr fatetur in locis Classe 4. c. 9. p. 834. Manifestiora vero de Exorcismo testimonia vide apud Tertull. lib. de praesc. c. 41. & in Apolog. adversus Gentes. 32. Cypr. lib. 2. Ep. 2. Gregor. Nazianz. in orat. de Baptismo, Ambrosi. 4m lib. 1. de sacerdot. c. 5. Optatum Milevit. lib. 4. contra Donatistas. August. lib. 1. de peccat. merit. c. 34. lib. 2. de Nupt. & concupisc. c. 18. lib. 6. contra Iulianum c. 5. lib. 2. de gratia Christi & pecc. orig. c. 46. lib. 4. de symbolo c. 1. Leō. serm. 2. de Quadrag. Greg. Mag. homil. 20. in Evang. Isidorum Hispal. lib. 2. de off. Eccl. c. 20. Bed. in 16. c. Marci. Quod si vera sunt, quae haecenus dicta sunt, ut sunt verissima, cavillationes Calvinianorum, quando Exorcismum fermentum Pontificiorum, & ab ipsis Baptismo assutum contendunt, in fumos evanescent penitus.

Analysis Definitionis in qua evolventur.

I.

Genus.

Exorcismus est Adiaphorum.

Adiaphoria

Exorcismi

probatum

quinque; argumentis.

i.

A testimonijs

Orthodoxa

Antiquitatis

2. IX. Ad secundum proinde membrum minoris descendimus,
 A finibus, qui in quo nobis probandum incumbit: Exorcismum bono fine esse sus-
 Exorcismum ceptum. Est autē tripliciter potissimum fine institutus Exorcismus:
 Ecclesie com- 1. Propter Ecclesiam, ut nimirum testes Baptismi hoc ipso ritu
 mendant. testimonium perhibeant fidei suæ, quod extremam agnoscant
 1. generis humani, in qua omnes nascimur, miseriam 2. Propter
 2. Baptizatum, qui, si adultus sit, hoc ritu de originali malo ad-
 3. monetur. 3. Propter ministerium Evangelii, quod ex hac po-
 testate absolvendi eò pluris facere, ut debemus, ita solemus.
 Verùm plura de finibus infra differenda erunt, ubi pars nostræ
 definitionis formalis, quam differentiam vocant, & quæ ex fini-
 bus petita, evolvenda venit. Ex his statim error quorundam
 Calvinianorum profligatur, qui dicere haud erubescunt; Ex-
 orcismum planè esse otiosum.

3. X. Tertium porrò membrum, quo statuitur Exorcismus in
 A carentiâ verbo Dei non esse prohibitus, confirmatur sequenti Syllo-
 Interdicti. gismo: Quicquid in verbo Dei prohibitum est, illud vel Deca-
 logo interdictum, vel reliquis fidei capitibus contrariatur, aut
 denique cum natura sacramentorum pugnat. At talis non
 est Exorcismus. Ergo, Minor nobis fulcienda erit: 1. De præ-
 ceptis, Non pugnat cum primo, quia verbis Exorcismi recitatis,
 non alieni Deastri, sed solius veri & omnipotentis Dei fit men-
 tio. Non cum secundo, quia nomen Dei non in vanum assumi-
 tur aut profanatur, sed honor Dei hoc modo promovetur.
 Quando enim Exorcismi verba declarant, infantem peccato
 originali coinquinatum & misertimè pollutum per Bapti-
 smum ab ista labe fœdissima liberari, & ex filio Diaboli filium
 Dei fieri, tunc summa Dei misericordia deprædicatur quod ita
 fit misericors, ut nolit infantem in peccatis mori, sed ex pote-
 state & tyrannide Diaboli eripi. Neque cum tertio, quia non
 facit ad contemptum verbi divini; quia potius excitamur &
 admonemur, ut solum illum animæ thesaurum magnificia-
 mus & vacuas aures aperiamus, ut in animum nostrum descen-
 dat & ibi fructificet. Cum reliquis denique præceptis nul-
 lam Exorcismum exercere pugnam, inde patet, quia sic non
 offenditur proximus, aut ipsi damni quid datur, sed potius de
 effica-

efficacia sacramentorum, admonetur, quòd nempe per hæc
 tanquam media, à Deo ipso instituta, omnibus rectè utentibus
 conferatur remissio peccatorum & salus æterna. Et sic prima
 hujus nostri Profyllogismi pars sibi constat. Porrò *capitibus fidei*
 Exorcismum non adversari, luculenter & multis probare, cum
 nimis longum foret, tum materia hujus disputationis nimium
 excresceret, illud firmum nobis & fixum est tam diu, quam diu
 contrarium non probatur. Quamquam verò adversarii qui-
 busdam telis pugnant, quibus nostram sententiam labefacta-
 re conantur; quam solida tamen eorum sint argumenta, in so-
 lutione objectionum videbimus. Tertiò denique Exorcismus
 Sacramento cui adjungitur, nempe Baptismo, haud adversatur.
 Non enim Baptismo detrahitur efficacia, ascribitur Exorcismo,
 sed potiùs quædam expositio est verborum Baptismi, & quid
 per ipsum conferatur, exponit ac declarat. Et tantum etiam de
 tertio membro.

2.

3.

XI. Accedimus jam ad quartum minoris nostræ probandæ
 membrum, quo asserimus, Exorcismum generaliter verbo Dei
 scriptum comprehensum esse. Generaliter autem dum dici-
 mus, opponimus id speciali interdicto, hoc est, verbo Dei spe-
 ciali, sive illud præceptivum sive promissivum sit. Unde sic
 concludimus: *Quodcumq;* verbo Dei speciatim sive præcipientis,
 sive promittenti non adversatur, illud generaliter in eo com-
 prehensum esse certum est. Nam quodcumque alicui non est
 oppositum, illud in aliquo cum ipso conveniat necessum est,
 & hanc generalem convenientiam hic intelligimus. Jam sub-
 sumo: Exorcismus præceptis & promissionibus verbo divino
 conceptis non adversatur, Ergò generaliter cum eo in certo
 gradu convenire certum est.

4.
*A generali
 præcepto.*

XII. Quæritur jam, *quænam sit illa generalis convenientia?* Ubi
 respondemus, quòd quemadmodum utrumq; Dei verbum &
 mandati & promissi in genere sibi propositum habeat bonum
 finem, ita etiam Exorcismus eò, veluti ad certum scopum diri-
 gatur. Finis verò præcepti duplex est: *Unus* ut internam con-
 cupiscentiam accuset, & refrænet, *alter* ut externam loco-
 motivam regat. Sic promissiones divinæ duplices etiam sunt:

Inter-

Interna seu spirituales, quæ animam curant ac sanant, & *Externa* seu corporales, quæ cæterorum bonorum quasi alvei & canales sunt. Eodem modo Exorcismus optimo fine est institutus *partim* ut hæreditarii illius mali internè habitantis, nos admoneat, *partim* ut externum symbolum sit, tum efficacie Baptismi tum etiam confessionis nostræ, respectu Pelagianorum, Anabaptistorum, & aliorum fanaticorum, qui originalem labem in infantibus bapizandis negant:

XIII. Generalis præterea regula de omnibus Adiaphoris est; quam tradidit Apostolo Corinthiis suis 1. Cor. 14. v. 12. & v. 27. ubi præcipit πάντα ἡμέτερον πρὸς οἰκοδομίαν τῆς ἐκκλησίας. Ex qua regula firmissimè sic arguere possumus: Quodcunque facit ad ædificationem Ecclesiæ, id generaliter est in VERBO De traditum, juxta sensum Apostoli. Iam omnia Adiaphora, & sic etiam Exorcismus, instituuntur & fiunt ad ædificationem & usum Ecclesiæ. Ergo.

XIV. Dixeris hujus Syllogismi minorem, quæ est κεραιώδην valdè difficilem probatu fore, cum μέγα λίαν αἴτιμα importet. Hanc verò certissimam esse & optimè sibi constare ex allegato jam ante Epistolæ Pauli capite liquidò monstare possumus. Docet enim Apostolus eo in loco illas in Christianorum congressibus publicis, & omni sacro cultu adhibendas esse cermonias, quibus rudis & imperita auditorum plebecula in pietatis studio & cognitione promoveatur & erudiatur. Et illud est quod vocat ædificationem. Unde sic arguo: Quod nos in pietatis studio corroborat & confirmat, illud etiam ædificat. Atqui exorcismus in pietatis cognitione nos corroborat & confirmat. Ergo etiam ædificat, & per consequens pars est ædificationis Ecclesiasticæ. Minoris probationem tunc petere potes si fines & utilitates Exorcismi circa Baptismum in Ecclesia eludere & elidere valueris. Id quod nunquam fore, certū est.

Quomodo
Exorcismus
faciat ad
ædificati-
onem.

XV. Et hoc est primum & præcipuum fundamentum ex Paulino loco extructum, quod ut liquidius pateat, paulò plenius illud explicabimus. Quando enim dicimus, Exorcismi ritum facere ad ædificationem Ecclesiæ, illud intellectum volumus 1. Quod paternos admoneat, non tantum quantis in
miseriis

miseriis infans baptizandus fit constitutus, quomodo nimirum propter originalem labem, quam ex utero materno secum trahit, diabolus eum captivum teneat, sed ut ipsi etiam in suum immigrarent ingenium, & se in eodem luto peccati hæsisse agnoscant. Deoque gratias agere incipiant, pro maximo illo beneficio, qui eos per lavacrum regenerationis ex faucibus Diaboli extraxit.

2. Quod spondeant Patrini loco infantum, ipsum seridò recipere velle Baptismum & fructum ejus, & diabolo penitus renunciaturum, si per Baptismum Christo inferatur.

2.

5.

XVI. Ad quinti & ultimi membri probationem jam fit progressus, quo affirmamus, Exorcismum in libero hominum arbitrio esse positum. Illud thema duobus præcipuè probatur argumentis.

A liberrimò
Ecclesiæ
Vsu.

XVII. 1. Quodcunque in sacris literis neq; præceptum neq; prohibitum, illud est in libero hominum arbitrio positum; Nul- lum enim tertium in doctrina de Adiaphoris dari manifestum esse puto. Iam Exorcismus in sacris literis neque præceptus, neq; prohibitus. E. Minoris probatio continetur in tertio membro. Supervacaneum igitur esse censemus repetere hoc loco, ne forte cum nausea fiat.

1.

XIIX. 2. Quod in Orthodoxis Ecclesiis hic quidem admittitur, illic verò omittitur, id omniuo arbitrio humano stare, cadereq; necesse est. Atqui tali modo Exorcismum esse comparatum. Experientia optima rerum Magistra testatur. E.

2.

XIX. Atque ita tandem generalem illum Syllogismum per sua membra directè probatum concludimus, ex quo manifeste constat, Exorcismum rem esse adiaphoram, ideoque licitam & non prohibitam.

II.
Explicatio
differentiæ
specificæ in
Definitione
Exorcismi.
Fines Exorci-
smi.

XX. Hactenus definitionis nostræ generi satis factum esse speramus: Restat, ut ejusdem formam, seu ut vocant, differentiam specificam paucis pro instituto nostro videamus. Constat verò illa finibus Exorcismi, quos ita partiemur, ut quatuor eorum distincti & præcipui quidem prodeant.

I.

XXI. Primus est de peccato originali commonefactio. Quando enim sacerdos verba hæc pronunciat: *Adjuro te impure spiritus, ut discedendo locum des puro & Sancto Spiritui*: non tam ad corticem,

Commone-
factio est de
peccato O-
ut riginali.

B

ut vocant, seu sonum verborum, sed potius ad sensum seu mentem est respiciendum. Neq; n. ita explicantur verba ac si infans baptizandus corporaliter esset obsessus a diabolo, & sic per exorcismum ipse ejiciendus. Minimè hoc volunt verba; sed Ecclesia hac loquendi formula nihil aliud vult intellectam; quam ut enormitas & deformitas originalis mali agnoscat & simul doceatur, quod, nisi infans per lavacrum illud regenerationis ex hoc labyrintho extrahatur, oporteat ipsum sub regno & potestate tenebrarum & diaboli perpetuo permanere.

XXII. Primus hic usus delitio Pelagianorum oppositus, qui infantes ex sanctis parentibus natos, sanctos & ipsos esse ac in foedere Dei comprehendendi affirmarunt. Quæ sententia scripturæ dictis cōtraria ex orco quasi revocata est a Calvinianis, hodieq; ab ipsis mordicus defenditur, ut in objectionū solutione patefit.

II.
Symbolum
Christi exhibiti & destructi per ipsum Regni Sathanici.

XXIII. II. *Manifestum est signum exhibiti Christi*, quòd nempe opus redemptionis plenè ab ipso peractum & absolutum sit. Christus enim ideò descendere & humanam naturam assumere voluit, ut opera diaboli destrueret, & nos ab illo vinctos, morte passionis & resurrectione sua liberaret. Quod factū esse, Exorcismi verba volunt. Quando enim sacerdos vel Ecclesiæ minister verbis Exorcismi adhibitis declarat, quod infans spiritualiter obsessus per Baptismum liberetur, simul Christum exhibitū affirmat, cum nō nisi per ejus meritum id fieri possit. Ipse enim solus est, qui armis suis diabolum exiit, & ex faucibus ejus nos eripuit.

III.
Speculum efficaciac & valoris Baptismi.

XXIV. III. *Est illustre & nitidum speculum efficaciac proprie Baptismi.* Infantem enim originalem labem ab utero materno secum trahere ex plurimis scripturæ dictis luce meridiana clarius patet. Eph. 2. v. 3. natura sumus filij iræ. Ps. 51. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis cōcepit me mater mea. Ex hoc labyrintho seu originali malo si quis extrahi cupiat, medium ab ipso Deo præscriptum & mandatum adhibeat oportet, nempe Baptismū, quo nisi quis tingatur aut aspergatur; regnū cœlorum ingredi haud potest, ut Salvator ipse Joh. 3. v. 5. luculenter pronunciat. Hanc esse Baptismi efficaciam, nempe, quòd infans ex tenebris extrahatur, ex faucibus Sathanæ eripiatur, & domiciliū fiat Spiritus sancti, verbis Exorcismi includitur. Verba enim illa Baptismi,

ptismi, Baptizo te &c. verbis explicantur Exorcismi, ut exeat & discedat ab hoc infante, i. e. (ut verbis Lutheri exprimā) rapio te infantem ex manibus Satanæ, & offero te Deo, idq; verè & realiter in hoc Baptismo & per hunc Baptismum solius Christi merito & efficacia, interprete iterum Luthero in cap. Gen. 27. & 48. Usurpantur igitur Exorcismi verba commonefactionis tantum causa, & symboli seu signi externi loco, quo minister Ecclesiæ, quid per Baptismum conferatur, palā protestatur, nempe quod Deus per Baptismum infantem ab originali labe purget, diaboli opera destruat, & ipsi donet, ac reddat justitiam ac vitā æternā,

XXV. IV. *Est pictura summæ Tyrannidis diaboli, cui subjectus est miserrimus infans. Sacro enim Baptismate nondū adhibito, infans propter peccatum originale, in quo nascitur, captivus vinculis diaboli in regno tenebrarum detinetur, filius est iræ, & sic extra regnum Christi, nisi per lavacrum regenerationis inde emergeret. Hæc miseria ut agnoscat, ritus exorcismi usurpatur.*

XXVI. Atque hætenus quidem κατὰ Φασιν nostræ setētiae de Exorcismo ἀναθέσει εἶναι quidem, sed & σαφέσει εἶναι delineavimus. Ἀπόφασις jam nobis seu ἀνασκῶν in diluendis adversariorum præcipuis argumentis breviter est consideranda, atque examinanda. Quod dum facimus, argumenta non quidem omnia, sed quæ maximi videbuntur esse momenti, & quibus Calviniani præcipue tripudiare ac triumphare solent, in mediū proponemus, & quibus falsitatibus, absurditatibus, calumniis etiā & insectationibus nonnunquam scateant, tam luculentet manifestabimus, ut nullius non assensum, modò verum potius iudicium, quàm præiudicium sequi velit, mereamur. Primum igitur contra sententiam nostram argumentum ita solent informare Exorcismi Antagonistæ.

XXVII. *Quodcunque Christus in Baptismo fieri non iussit, illud etiam à nobis erit intermittendum. Atqui non iussit exorcisari. E.*

XXVIII. R Major si de substantialibus Baptismi loquatur, conceditur. substantialibus si quidem Baptismi neq; aliquid addi, neque adimi debet: si verò de ijs, quæ substantiam Baptismi non concernunt tunc negatur, quia multa ceremoniæ nō tantum in Baptismo, sed & in sacra cœna adhibentur piæ, quæ à Christo nō

IV.

Pictura Tyrannidis diaboli. ca.

Antithesis tractata hætenus theses cū brevi solutione Argumentorum contrariorum.

Argumentum 1. ab auctoritate Christi Baptismum instituentis.

sunt mandata, imò si essent mandata, tunc non amplius cere-
monia aut adiaphora essent, nec observatio aut omissio in libe-
ra Ecclesiæ potestate forte posita. Quid? quòd Calviniani ipsi
trinam aspersionem in Baptismo adhibent, quæ tamen à Chri-
sto minimè mandata est. Minor igitur à nobis non negatur, sed
utraq; manu illam largimur, nempe exorcismum à Christo non
esse mandatum. Nos enim ipsi ex eo argumentum neçimus,
quod, quia specialiter non est mandatus, inter adiaphora sit nu-
merandus.

2.
A superva-
caneò.

XXIX. 2. *Quia Diabolus pellitur in ipso Baptismate per Chri-
stum. Argumentum, si construatur, tale erit: Si diabolus pellitur in
ipso Baptismate per Christum, tunc non opus est Exorcismo. Atqui Dia-
bolus pellitur per Christum in ipso Baptismate. E.*

XXX. Resp. ad majorem, quod Calviniani præconceptam ha-
beant opinionem dum sibi falsò persuadent, à nobis defendi,
per Exorcismum Diabolum ejici, quam tamen opinionem à
nobis longe remotissimam esse, & verbis & scriptis hæctenus sa-
tis ostensum est.

3.
A facto seu
ritu Aposto-
licò.

XXXI. 3. *Quodcunq; fecerunt Apostoli illud etiam nobis est facien-
dum. Atqui Apostoli Baptizarunt sine Exorcismo. E.*

XXXII. Resp. Major simpliciter vera non est, alias multarum
ceremoniarum bono fine in Ecclesia institutarum abrogatio se-
queretur, cum illas ab Apostolis introductas esse probari ne-
queat. Diversa proinde tempora, & diversi Ecclesiæ status cere-
monias Ecclesiasticas diversas faciunt. Cum igitur diversa fu-
erit facies Ecclesiæ primitivæ & subsequentium, argumentum à
primitiva Ecclesia ad subsequentem non procedit.

4.
A compa-
ratis.

XXXIII. 4. *Quodcunq; non adhibitum fuit in administratione cir-
cumcisionis, illud non assumendum est ad actionem Baptismi. Atqui Exor-
cismus non adhibitus fuit in administratione Circumcisionis. E.*

XXXIV. Resp. Major vacillat. Si enim eadem ceremoniæ cir-
ca administrationem Sacramentorum V. T. usurpatæ, in N. eæ
erant introducendæ, tunc amitterent naturam adiaphororū, &
ex manducatione agni Paschalis, cui successit in N. T. commu-
nicatio Cænæ Dominicæ multæ ceremoniæ forent petendæ,
quæ in administratione S. Cænæ jam non adhibentur.

XXXV.

XXXV. 5. Quodcunq; certi temporis est, id ultra illum terminum non est extendendum. Sed munus Exorcizandi cum miraculorum dono conjunctum temporarium fuit. E.

5.
Ab usurpationis Termino.

XXXVI. Resp. Hoc sane telum nos non ferit, si quidem à nobis semper asseritur in fantem Baptizandum non esse corporaliter obsessum; quod falsò nobis impingi clarum est.

XXXVII. Quodcunq; est usurpatum ab impiis, illud est impium. Exorcismus est usurpatus ab impiis. E.

6.
Ab abusu.

XXXVIII. Resp. Major à veritatis tramite quàm longissimè deflectit: Non enim omne illud quod usurpatum est ab impiis, est quoq; impium, aliàs sol, qui malè usurpatus est ab impiis, dum illi cultus divinus est attributus, erit impius, quod absurdum. In templis olim celebratæ sunt missæ, invocati sunt sancti: Ergòne sequitur ipsorum templorum nullum amplius pium usum esse posse? Imo si illud impietate laborare censendum est, quod ab impiis usurpatum, tunc ne de codice quidem Biblico affirmari poterit: pium pium esse, quia ab impiis variis corruptelis conspurcatus, hodieq; conspurcatur. Deinde respondeo ad minorem, per inficiationem, nempe Exorcismum, eo sensu, quo in nostris Ecclesiis adhibetur, usurpatum esse ab impiis, aut inde originem trahere.

XXXIX. 7. Quodcunq; honori Dei prevaricatur, ædificationi proximi adversatur, & deniq; salutem nostram contrariatur, illud inter adiaphora non est numerandum, sed per se peccatum & damnabile est, Exorcismus est talis. E.

7.
A prevaricatione honoris divini.

XL. Minorem probare conantur duabus hypothesebus: 1. quia Exorcismus sine peccato in Ecclesia usurpari non potest, E. Argumentum tale erit: Quod sine peccato in Ecclesia usurpari non potest, illud est peccatum. Atqui Exorcismus in Ecclesia usurpari sine peccato non potest. E.

2.

XLI. Resp. Major vera non est. Non enim omne quod sine peccato fieri non potest, statim est peccatum, & honori Dei contrariatur: Alias parere seu progignere liberos; quod pravam citra concupiscentiam non fit, esset peccatum. Quid? quod nullum datur etiam bonum opus quod omni peccati labe, omni naxvo careat, Ergòne bona opera facere etiam peccatū erit? quod ab-

B 3

sur-

surdum ex hypothefibus confequitur. Major itaq; sic erat informanda: quod honori Dei contrariatur per fe, illud est peccatum. Qua ratione minor evadit falſa.

XLII. *Quicquid non eſt ex fide eſt peccatum. Exorcismus non eſt ex fide. E.* Minoris rationem dant hanc: quod non habet mandatum & promiſſionem divinam, illud ex fide eſſe nequit. Talis eſt Exorcismus. E.

XLIII. Reſp. ad minorem, in qua eſt fallacia oppoſitorum. Paulus n. ad Rom. 14. v. ult. fidem opponit dubitanti & fluctuanti conſcientiæ hoc ſenſu: Quicquid non eſt ex fide, hoc eſt, quicquid fit fluctuante conſcientia, id eſt peccatum: Atq; eo ipſo in loco eadem de materia Apoſtolus agit, in quam noſtra diſputatio incidit, nimirum de Adiaphoris, verbo Dei neq; interdictis neq; mandatis. Vult igitur, peccare illum, qui Adiaphoron, quod per ſe μέσον eſt, tractat ambigua & nimis trepidante conſcientia.

XLIV. Ad minoris probationem per diſtinctionem reſpondetur, inter illud quod eſt ex fide, & quod fidei articulum conſtituit. In fidei articulo certum, expreſſum & ſpecificatū requiritur verbum mandati ac promiſſi. In cæteris, qualia ſunt adiaphora, & quæ ex fide, ſufficit promiſſio generali verbo comprehenſa. Falſum igitur eſt ex fide eſſe & fidei articulum, unum & idem eſſe. Exorcismus quidem fit ex fide, ſed non eſt articulus fidei, alias inter Adiaphora & res Eccleſiæ liberæ minime numerandus foret.

8. XLV. 8. *In quocunq; diabolus non eſt, ex eo fruſtra ejicitur. Atqui à fruſtraneo. in infante diabolus non eſt. E.*

XLVI. Reſp. Alia eſt obſeſſio corporalis, alia ſpiritualis, & non ſunt unum & idem, quemadmodum Calviniani ſibi perſuadere videntur, Major loquitur generaliter de obſeſſione; in minori verò de obſeſſione corporali ſubſumitur. Confunduntur ergo hæc duo & pro uno & eodem ponuntur, unde quaternitas terminorum deprehenditur. Spiritualem autem dari obſeſſionem Satanæ, patet ex èp̄lo Judæ proditoris, de quo legitur *Ioh. 13. v. 27.* quòd diabolus poſt bucellam introiverit in eum. Satanam ergò in ipſo fuiſſe manifeſtum eſt: An propterea exinde inferri pot-eſt, ipſum corporaliter ab ipſo obſeſſum? Minimè gentium. Sed ſpiritualis tantum intelligitur obſeſſio & captivitas, quod
nempe

nempe Satanas cor ipsius sua malitia commaculaverit, & ad illud facinus perpetrandum nimirum ad proditionem, ipsum compulerit. Semper ergo Calviniani præconceptam habent opinionem, dum diabolum in aliquo esse audientes corporalem obsessionem sibi imaginantur. Quod tamen ut sæpius dictum, falsum est.

XLVII. 9. *Omne bonum opus est mandatum à Deo. Exorcismus non est mandatus.* E.

9.
A defectis
mandati.

XLIX. R. Major limitatione indiget: Omne bonū op9 est mandatum a Deo vel generaliter vel specialiter. Multa autem sunt, quæ quamvis specialiter non mandata sint in verbo Dei; generaliter tamen ibi habentur. Jam ad minorem: Licet speciale mandatum de Exorcismo non exprimat, uti nec illud in adiphoris requiritur; tamen generaliter in Scriptura esse traditum, superius probatum est. Carentia igitur mandati non reddit Exorcismum blasphemum aut illicitum, sed non necessarium aut adiphoricū; aliàs omnes ritus adiphorici, quia carent mandato specialis, necessariò ex Ecclesiæ agris eliminandi & exturbandi essent, quòd maximè absurdum esse cuius patet.

XLIX. 10. *Quodcunque est solius omnipotentia Dei, illud non est ascribendum humanis ceremoniis. At qui ejicere demonia, est solius omnipotentia Dei.* E. Probant minorem, quia ejicere dæmonia, digito Dei ascribitur, Luc. 11. v. 20.

10.
Ab omni-
potentia divi-
na.

L. R. Hic confundunt adversarij ejectionem corporalē & spiritualem, cum illā in hoc negotio tantum intellectā velimus. Dictū Luc. 11. de corporali loquitur ejectione. Ab illa ergo ad hanc nulla consequentia. 2. Luc. 11. non dicitur, quod digito Dei tantum ejiciantur Dæmonia; Exclusiva enim ibi non habetur; quæ tamē ab adversarijs opponitur. Omissa ergo hac exclusivā innuitur certis mediis adbititis, illud etiam ab homine peragi posse. Porro si eiicere dæmonia ita solius omnipotentis Dei est, ut nulli alii creaturæ attribui possit; ut affirmare videtur Calviniani; tunc sequitur Christum suos discipulos ludos fecisse, & glaucoma iis objecisse, dū illis potestatem in nomine suo repellendi diabolum concessit. Imò scriptura ipsa mendacii arguitur, quæ sæpe Apostolos

&

& alios sanctos dæmonia eiecisse affirmat. 4. Iterum nobis affingunt sententiam, quam sæpius repudiavimus, ac si Exorcismo spirituales illam liberationem à Satanæ captivitate attribueremus, cum illud tantum *σημασίως* aut significativè ritui exorcistico competere sæpius à nobis iteratum sit.

11. *Ab imminutione meriti Christi.* LI. 11. *Quodcunq; extenuat & diminuit meritum Christi, illud Deum contumeliam afficit. Atqui usus Exorcismi extenuat & diminuit meritum Christi, E.* Minoris rationem dant hanc: quia liberatio à potestate Satanæ, quam Christus morte & passione nobis promeruit, ascribitur ritui Exorcismi,

LII. Resp. Id verò quàm nullius omninò pretij, & ne cassæ quidem nucis sit, præter Elenchum consequentiæ, quo laborat argumentum, patescet ex hac instantia. Nam remissio peccatorum, liberatio à potestate Satanæ, merito Christi nobis acquisita & parata est. E per Baptismum à potestate Satanæ non liberamur, & per legitimum Sacræ Cœnæ usum nobis non remittuntur peccata? Absurdum. Distinguere igitur adversarij debebant, inter meritum ipsum, & ejus applicationem; inter opus redemptionis, & operis applicationem. Diabolus quidem victus & superatus est morte Christi; illud autem beneficium non immediatè, sed mediatè per verbi & sacramentorum ministerium nobis applicatur & distribuitur. Deinde hic non iterum, sed multoties in eundem erroris impingunt lapidem cœci nimis Calviniani, qui præ inscitia non vident, vel præ malitia videre nolunt, nos nunquam, quod toties cum nausea repetimus, ascripsisse vim liberatricem, aut expultricem ritui Exorcistico, sed unicè virtuti Baptismi per verbum mandati & promissionis operanti.

12. LIII. 12. *Sacramentis nihil est humanitus addendum. Atqui Sacramento Baptismi aliquid additur, dum Exorcismus adhibetur. E.*

LIV. Resp. Major sic limitanda: Sacramentis nihil est humanitus addendum, quod scilicet institutioni CHRISTI ad verferetur, aut substantialia Sacramenti immutet: addi autem eis aliquid potest, quod mysterium & genuinum ejus sensum explicet & exponat. Illud autem duplici modo, & verbis & ritibus fieri assolet Inter quos ritus & Exorcismus numeratur, quo enormitas & deformitas peccati originalis, & summa Dei misericordia

dia

dia erga homines agnoscitur. 2. Si sacramentis nihil est huma-
nitus addendum; cur ipsi Calviniani ab renunciationem, fidei
confessionem, orationem Dominicam & alia, quæ in verbis
institutionis non leguntur, usurpant.

LV. 13. Si infantes sunt sancti ab utero materno, tunc non
opus est Exorcismo. Atqui infantes Christianorum sunt sancti
ab utero materno. Ergo.

13.
Ab originari
li infantium
Christianorum
sanctitate.

LVI. Antea verò, quàm ad Syllogismum hunc directè re-
sponsum paremus, necesse est, ut sententiam Calvinianorum de
sanctitate infantum nondum Baptizatorum, quæ Syllogismi
hujus minor est, brevibus examinemus. Ubi primò veram sen-
tentiam cum scripturis fundabimus, deinde verò adversario-
rum argumenta, quæ hoc pro sua sententia afferre solent, præ-
cipua ex scripturis refutabimus.

Fundamen-
ta sententiæ
Negative

LVII. Primum autem contra Calvinianorum istud dogma
fundamentum cum orthodoxis Theologis in iis ponimus & lo-
camus Scripturæ dictis, quæ docent nos naturâ esse filios iræ,
ut sunt, Ephes. 2. v. 3. Ioh. 14. v. 4. Psal. 51. v. 7. unde sic arguimus:
Quicumq; sunt naturâ filii iræ, & in peccatis concepti, & ex im-
mundo semine nati, illi ab utero materno non sunt puri & san-
cti. Sed omnes in universum homines sunt naturâ filii iræ, in
peccatis concepti, & ex immundo semine nati. Ergo, Major
propositionis ratio est evidens: quia ira & gratia sunt oppo-
sita, ut & mundities & immundities, in peccatis concipi, & san-
ctum, vel extra peccatum esse. Si ergo infantes sunt in gratia,
ut volunt Calviniani, non erunt filii iræ, & ita sententia Pauli
fallet, quod est absurdum. At enim, positâ irâ, ponitur depra-
vatio naturæ; positâ de pravatione naturæ, ponitur malum ori-
ginale & tollitur sanctitas originalis, quam urgent Calviniani.

quod nulla
detur spiri-
tualis san-
ctitas in in-
fantibus
ante Bapti-
smum.

I.
Ex testimo-
nijs Scri-
pturæ.

LVIII. Secundum fundamentum petitum est ex dicto Ioh.
3. v. 6. Quicquid ex carne natum est, caro est; ex quo tale struitur ar-
gumentum: Quicumq; à nativitate secum adferunt naturam
peccato corruptam, & depravatam, illi à nativitate non sunt
sancti, Atqui infantes Christianorum à nativitate secum adfe-
runt naturam peccato corruptam & depravatam. Ergo. Ma-
jor propositio per se patet: Minorem hoc pacto probamus;

C

Quis

Quid vox
carnis in
allegato Io-
hannis di-
cto notet.

Quicumq; ex homine peccatore, seu peccato coinquinato nascitur, is etiam peccator nascitur, & à nativitate non est sanctus. Atqui infantes Christianorum ex hominibus peccatoribus seu peccato corruptis nascuntur. Ergo, Utraq; propositio ex verbis Christi Ioh. 3. v. 6. confirmatur: *Quod genitum ex carne est, caro est.* In quibus verbis vox carnis nihil aliud significat quàm hominem carnalem, hoc est, peccatis inquinatum & iræ Dei obnoxium. Quam interpretationem veram esse & Scripturæ consonam ex antithesi patet, cùm Christus inquit: *Quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est.* Ubi per vocem Spiritus nihil aliud intelligitur, quàm homo spiritualis, Spiritus sancti gratia illuminatus. Quod si verum est, ut est verissimum, vocem Spiritus spiritualem denotare hominem, hoc est, à peccatis purgatum, sequitur ex natura oppositorum, quòd vox carnis nihil aliud significare possit, quàm hominem carnalem, h. e. peccatis pollutum & coinquinatum. Minor etiam manifesta est, quòd infantes Christianorum ex carne nascantur. Ubi enim homo purus & peccato non contaminatus? Adam ipse quantumvis renatus genuit filium non ad Dei, sed suam imaginem Gen. 5, v. 3. Ab ipso Jehova figmentum cordis nostri malum dicitur ab ipsa pueritia. Gen. 6. v. 5. & c. 8. v. 21. Accedit & illud, quod Christus cùm nasci deberet ex virgine Maria, necessum erat, ut à Spiritu sancto obumbraretur, & massa, quam debebat assumere, à peccatorum sordibus sanctificaretur, & purgaretur, aliàs, sicut cæteri homines in peccatis productus fuisset.

III.
Ex dicto Io-
hannis c. 3.
v. 5.

LIV. Tertium sumitur ex dicto Joh. 3 v. 5 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cælorum.* Ex quo sic argumentamur: *Quicumq;* opus habent regeneratione, si regnum Dei ingredi debeant, illorum natura à prima nativitate corrupta & depravata est, seu illi peccato coinquinati nascuntur. Atqui omnes homines, & per consequens, etiam infantes Christianorum opus habent regeneratione, si regnum Dei ingredi velint. E. Major probatur ex dicto superius adducto. Minoris ratio manifesta est: si enim natura humana ex prima generatione non esset contaminata peccato & in illo nasceretur, tunc opus haud esset, ut per regenerationis lavacrum regeneretur & sanctificaretur.

LX. Por.

LX. Porro: Quicumquè nascuntur cum ignorantia mentis IV.
 & pravitate cordis, illi non nascuntur sancti. Atqui omnes na- Ab a'ca'ia
 scuntur cum ignorantia mentis & pravitate cordis. E. Major mentis,
 ex natura oppositorum vera est, Minor probatur non tantum
 Scripturæ testimonijs, sed etiam quotidianâ experientia.

LXI. Quanquam verò numero plura sint argumenta Or-
 thodoxorum, quibus hanc suam sententiam firmiter astruunt:
 tamen ista pro tempore sufficiant, cum hæc controversia alte-
 rius loci atque instituti sit.

LXII. Nunc quomodo minorem suam ratiunculis hinc in- Probatio-
 de corrasis adversarii probare annitantur, videbimus. nes Adver-

LXIII. Dicunt, nisi statim ab infans ab utero materno, saviorum
 promissio cunctis fidei abus à Deo facta irrita foret, in contra-
 Genes. 17. v. 7. Ero Deus rium,
 tuus & seminista post te.

LXIV. R. Promissionem hanc respectu seminis non esse ab- r.
 solutam & ex carnali generatione æstimandam, sed cum fidei A commu-
 propriæ determinatione accipiendam esse, probatur i. ex dicto nitione Fæ-
 Pauli Galat. 3. qui cum mentionem fecisset Abrami & semi- deris.
 nis ejus, nec non promissionum, quas acceperat, disertè affir-
 mat, quinam sint inter genuinos filios Abrahæ numerandi,
 quodq; semen illud sit, quique posterii, ad quos promissionum
 fructus pertineat. Sic enim scribit v. 7. Scitis quod qui ex fide sunt, hi
 sunt filij Abrahæ: ubi certe illos tantum dicit esse filios Abrahæ
 qui sunt ex fide, id est, qui Christum vera fide apprehendunt.
 Sic etiam Rom. 9. 9. Non omnes, qui sunt ex Israël, sunt de Israël, nec qui
 sunt semen Abrahæ statim omnes filij, sed qui sunt filij promissionum, hi re-
 censentur in semen. 2. Ex ipso textu Mosaico. Promissio enim illa
 data Abrahamo non absolutè exprimitur, ac si immediatè
 ad omnes Abrahami posteros pertineret, sed cum sacramento
 fœderis, scilicet circumcisione immediatè connectitur, ita
 ut nisi circumcisione à Deo ordinata facta fuerit applicatio
 illius promissionis divinæ, ne no inter Abrahami posteros nu-
 merari debeat; clara enim sunt verba Genes. c. 17. v. 14. Mascu-
 lus cujus preputij caro non circumcisa fuerit, delebitur anima illa de po-
 pulo suo, quia pactum meum irritum facit. Sic Genesis vicelimo
 secundo capite dicitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes.

3. Quod si jam juxta mentem Calvinianorum promissio absolute intelligenda esset, nullo habito respectu fidei, tum omnes gentilium liberi absque fide & baptismo sancti essent. 3. Ex declaratione Christi, qui *Marc. 16. v. 16.* promissionem illam repetit cum determinatione fidei & Baptismi. 4. Ex absurdo; sequeretur enim impios Esauitas, & reliquam progeniem piorum Patriarcharum esse sanctam & comprehendi in foedere; quod absurdum. Imò hodierni Judæi, qui animo sunt obstinati & in incredulitate positi, quia sunt semen Abrahamæ secundum carnem, participes fierent hujus promissionis, essent in foedere, sancti, & Deum haberent propitium, quod itidem absurdum. Genuinus ergò hujus promissionis sensus erit, quò etiam ab Apostolis accommodatur, i. quod per illam accessus ad media pateat, & nemini, qui illam sibi applicare vult, via præcludatur. 2. Quòd fructum promissionis illi demum percipiant, qui propria fide ipsum sibi applicant.

LXV. 11. *Quia Apostolus eos sanctos dicit. Rom. 11. v. 16. Quòd si radix sancta est & rami: & si primitiæ sanctæ sunt, sancta quoq; erit massa.*

2. LXVI. Resp. Apostolus hinc non dicit, ramos sanctos fuisse ante circumcisionem aut baptismum. Quid ergò locus prod est adversarijs? 2. Apostolus hic non loquitur de interna, sed externa sanctitate, quia gens Judaica, de qua hic disseritur, erat excœcata. E. non erat sancta, & rami quidam erant fracti ut dicitur v. 17. E. sanctitatem primitiarum, id est, Patriarcharum haud æmulati sunt, 3. Largimur ex abundantia, Apostolum de interna sanctitate disserere; nihil tamen præsidij habebunt adversarij ex hoc loco. Apostolus enim nusquam Judæos idèò sanctos esse pronunciat, quia originem trahant ex sanctis Patriarchis, antequàm verbum *audiant*, vel sacramentis utantur, quibus medijs adhibitis, *Ecclesiæ inseruntur*: sic enim pugnaret cum ipso Christo dicente Joh 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum, Hoc ergo vult Apostolus: gentem Judaicam in universum non esse rejectam à Deo, quia semper aliquæ sanctæ reliquæ superstites manent, hoc est, aliqui credentes Judæi, in quibus promissio Patribus facta compleatur. Ursinus ipse pag. 55. respondet: Est

fallacia

fallacia Homonymia, Sanctitas enim hic non significat immunitatem à peccato, vel integritatem naturæ, sed hanc posteritatis Abrahamæ dignitatem, quod Deus propter fœdus cum Abrahamo initum semper aliquos ex ejus posteris convertere, & vera interna sanctitate donare voluit, & quod omnes posteri jus externæ Ecclesiæ obtinuerunt.

LXVII. Postremo ex 1. Cor. c. 7. v. 14. alioquin liberi vestri immundi, &c. sic concludunt: Qui ex nativitate sancti sunt, illi carent reatu peccati originalis Sed fidelium liberi ex nativitate sancti sunt. Connexio est manifesta, quia sanctum esse, & adhuc in peccatis esse, se mutuò excludunt.

LXVIII. Priusquam verò directè hic respondeamus, triplicem monemus observandam esse sanctitatem, 1. Politicam, quæ est si quis in legitimo conjugio natus sis. 2. Ecclesiasticam, quæ duo habet privilegia, unum est promissio fœderalis, alterum immediatus aditus ad Baptismum, qui denegatur ijs, qui extra Ecclesiam nati sunt, donec vera fide & doctrina imbuantur, 3. Theologicam, seu spirituales, quæ tota Dei est & à Deo.

LXIX. Jam quaeritur, quæ nam ex tribus his sanctitas hoc loco sit accipienda? Præcipui nominis Theologi Ecclesiasticam hic intellectam volunt, qua liberis in gremio Ecclesiæ natis immediatus ad sacramenta & cætera Ecclesiæ bona patet aditus, potest etiam quodammodo intelligi sanctitas Politica, quæ suspicio fornicationis & adulterij omnis removetur. Concludimus ergo contra adversarios sanctitate civili & Ecclesiasticâ ad spirituales velle procedere, idem esse ac civem Romanum in eodem cum homine Christiano seu Ecclesiæ cive gradu velle collocare.

LXX. Palmaria hæc sunt, & quibus mire sibi placent, adversariorum argumenta, quibus ceu catapultis Exorcismum nostris ex Ecclesijs statim explodi, atque eliminari putant: Reliqua enim quæ levioris armaturæ sunt seu minoris momenti, consultò hic omittimus, cum haud operæ pretium esse videatur, in ijs examinandis & profligandis multum otij ponere.

LXXI. Eant jam adversarij nostri Adiaphoromastiges, & de abrogando Exorcismo nos ὀκείοις μέγισ βαλλεῶν falsò glori-
entur,

3.
Ex dicto
Pauli 1. cor.
cap. 7.

Sanctitas
triplex.
1. Politica
2. Ecclesiastica.
3. Theologica vel Spirituales.

entur. Quin potius agnoscant, quàm plumbei sint pugiones,
quibus usum Exorcismi ab Ecclesia Orthodoxa probatum &
frequentatum fodiunt, lancinant & convellunt. Tibi verò
IESU CHRISTE, qui opera Diaboli tam potenter destruxi-
sti, hostesq; Ecclesie tue & omnis in ea εὐταξίας καὶ εὐαγγελισ-
της Turbones extremo cum ipsorum pudore confundis: Tibi,
inquam, Servator & vindex noster, laus sit in æternos gloria
honosq; dies. Amen.



AD

Præstantissimum ac Doctissimum

Dn. ERNESTUM Stissern /

Amicum meum amicissimum.

STISSERE, amice Candide, ut nomen cluet,

Dignum facis te, dogma quod Sionium

Sinceriolem vindicas in luminis

Usum; viare sic decet qui semina,

Famæ per orbem gestit omnem spargere:

Quin sic decet brabeia qui sibi cœlitus

Sperat parata, & numinis faventiam.

STISSERE amice candide, ut nomen cluet,

Dignum ergo te facis tuoq; nomine

Sinceriolem vindicare in luminis

Usum, Sionis dogma quod sacrum studes.

Amico suo oculitùs amato

Andreas Vernick

Coloniæ Marchicus.

11

CURA Patris Fratrisq; tui est, ERNESTE, cavere,
Ne detrimentum publica Res capiat:
Ut tibi, cana Fides, Pax obviet aurea, grataq;
Oscula pangatis dulcia utrinque vice:
Ut repetens, cælo terras, astra, relicto,
In mediò sedeas arbitra justa foro,
Hæc Patris, hæc Fratris cura est: habet altera natum
Et fratrem, Ernestum, cura nec illa minor.
Nam cavet, & magnò certat præeunte Magistrò,
Vindicet ut solidum res sibi sacra decus:
Religio ne pura suo de jure remittat,
Durum servitij nescia ferre jugum;
Docta suos retinere, ipsis cum dogmâsi, ritus,
Qui possunt cætus edificare pios:
Quod facis Exorcisme sacro conjuncte Lavacro
Annon binc acri vindice dignus eris?
Dignus es, & pro te salvandò nulla recusat
Prælia, tam clarò sub Duce bella gerens
ERNESTUS, forti qui se fert pectore in hostem,
Verbi cum gladio, cum clypeò Fidei.
Macte animis, ERNESTE, pium bunc defendeq; ritum.
Et malè-consutas arte resolve strophas.
Sic modò miles, eris magnus dux (auguror) olim,
Qui premat, & victos opprimat hæreticos.

Johannes Nicander
Hall, Saxo.

F I N I S.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Josephus Nicander
1815

F I N I S

hier einstempeln!

Th. ev. problem

359 h

Theo